

« ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem, de cætero
 « perpetuis temporibus ab indictione sub præcepto novorum
 « festorum absterneant. » Inde plures deducunt sublata omnino
 esse Episcopis potestatem quam antea habebant nova festa
 instituendi; certum quippe est, ex prænaratis, Urbanum VIII
 suam Bullam in eum finem condidisse ut modum imponeret
 nimio festorum numero, qui pluribus querimoniis ex parte
 Episcoporum, et etiam pauperum, locum dederat. Nihilomi-
 nus tamen, cum Pontifex eadem Constitutione moneat tantum-
 modo *ut studeant abstinere* ab indictione festorum, id solum
 sequitur eos magna uti debere prudentia in hoc negotiorum
 genere. Hanc interpretationem firmat auctoritas Benedicti XIV,
 qui in libro IV, part. II, cap. xv, *de Beatificatione*, duo statuit:
 « Episcopus in sua diocesi posse de consensu cleri et populi
 « festum instituere de præcepto... Non expedire, nisi ad sum-
 « mum gravissimæ urgeant circumstantiæ, ut ab Ordinariis in
 « propriis diocesis nova festa de præcepto instituatur. »

In Galliis nihil quidem obstat quominus Episcopi aliquas
 festivitates ex devotione celebrandas indicent, modo nihil immu-
 tetur in rubricis; at nullas possunt instituere celebrandas de
 præcepto, imposita nimirum obligatione Missam audiendi et ab
 operibus servilibus abstinendi. Obstant concordata quibus Sancta
 Sedes ad instantiam principis sæcularis dies festos, præter Do-
 minicas, ad quatuor reduxit, festa scilicet Nativitatis Domini,
 Ascensionis, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, et solemnitatis
 Omnium Sanctorum.

514. — III. Jus imminuendi numerum festorum connecti-
 tur juri illa instituendi, iisdemque principiis determinatur.
 Episcopi non possunt imminuere festa quæ jure communi ob-
 servantur: causa reservatur Sanctæ Sedi, ad quam recursum
 habuere omnes principes qui præsentis ætate, et in sæculis
 proxime elapsis, reductionem festorum expetierunt.

ARTICULUS II. — DE ORDINE QUO FESTA CELEBRANTUR PER DECUR-
 SUM ANNI.

515. — I^o *Undenam oriatur distinctio dierum festorum
 immobilium et mobilium?*

Dies festi *immobiles* dicuntur qui singulis annis eodem die
 recurrente celebrantur, v. g.: Natalis Domini, Circumcisio,
 Epiphania, festa B. Virginis, Apostolorum et aliorum Sancto-
 rum, quorum solemnitas quotannis refertur ad diem qua obie-
 runt, et quæ est vere dies natalis servorum Dei: hac quippe
 die novam ac immarcescibilem vitam assecuti sunt.

Dies festi *mobiles* sunt quorum celebratio pendet a solem-
 nitate Paschali, ut v. g.: Initium jejunii quadragesimalis, Ascen-
 sio Domini, Pentecostes, SS. Trinitas, Corpus Christi... Porro,
 lex est antiquissima Ecclesiæ, quæ sensim ubique prævaluit, Pas-
 cha celebrari die dominica quæ, post æquinoctium vernum,
 proxime sequitur plenilunium martii, non autem ipsa XIV^a die
 lunæ; quapropter Pascha christifidelium nunquam convenit cum
 Paschate Judæorum.

Hanc legem consuetudine fidelium inductam, secundum
 traditiones apostolicas, firmavit auctoritas SS. Pontificum et
 decretum concilii Nicæni contra Quartodecimanos, qui cum
 definitionibus datis obsistere ausi fuissent, inter hæreticos et
 schismaticos habiti sunt. Catholici, etsi omnes consentirent in
 unum post legem indictam a concilio Nicæno, ut ubique cele-
 braretur Pascha die dominica, non concordaverunt secum in
 determinanda die; unde venit quod alii una hebdomada, vel
 etiam uno mense citius quam alii, festum agerent. Ratio discrimi-
 nis fuit quod non uterentur omnes eodem cyclo. Concilium
 Nicænum, ut varietatibus finis imponeret, demandaverat
 Episcopo Alexandrino curam admonendi cæteros Episcopos de
 die dominica qua festum Paschale celebrandum foret. Sed de-

cretum concilii non ubique obtinuit, aut saltem decursu temporum in desuetudinem venit; quandoquidem S. Cyrillus Alexandrinus jam a sæculo v^o querebatur de inducta confusione, ob discrepantem praxim Ecclesiarum, quarum aliæ utebantur veteri cyclo Judæorum annorum 84; aliæ autem cyclo Alexandrino annorum 19; hæc discrimina sublata sunt sæculo subsequenti, quando Dionysius Exiguus induxit in Rom. Ecclesiam canonem Ecclesiæ Alexandrinæ¹. A tempore quo Gregorius XIII calendarium correxit, facillimum est, ex fastis perpetuis quæ evulgantur, deprehendere ordinem anni ecclesiastici, et quoniam die Pascha celebretur.

516. — II^o *Quæ notanda sint circa calendarium festorum*²?

Tria præsertim notanda, nimirum: 1^o distinctio dierum, mensium et annorum; 2^o cyclus annorum; 3^o demum epactæ, ex quibus determinatur dies Paschalis.

I. *Dies astronomicus* est intervallum temporis quo sol ab aliquo puncto, vel a meridiano regressus, ad idem revertitur; dies vero civilis computatur a media nocte ad mediam noctem subsequentem.

Christiani a primis sæculis singulos quosque dies hebdomadæ *ferias* appellaverunt; quia feria dicebatur olim dies sacrificiis destinatus, et nullam ipsi diem esse existimabant, in qua supersedere deberent ab orationibus et sacrificiis. « Una sabbati, ait sanctus Augustinus, dies dominicus est: secunda sabbati « secunda feria, quam sæculares diem lunæ appellant Tertia « sabbati, tertia feria, quam diem Martis illi vocant. Quarta « sabbatorum, quarta feria, qui Mercurii dies dicitur a paganis « et a multis christianis, sed nollemus, atque utinam corrigant « et non dicant. Habent enim linguam suam qua utantur, non « enim et in omnibus gentibus ista dicuntur... Melius ergo de

¹ *Devoti de festorum Celebratione*, lib. II, tit. v, § 5.

² Cf. Dissertationem F. Xav. Zech. de *Calendario ecclesiastico*.

« ore christiano ritus loquendi ecclesiasticus procedit. » (In Psalm. xciii, n^o 3.)

Mensis astronomicus est intervallum temporis quod intercedit inter duas conjunctiones, seu oppositiones solis et lunæ. Cum luna circa terram volvatur intra spatium 29 dierum, 12 horarum, 44 minutarum et 3 secundarum, quo tempore perficitur mensis astronomicus. Dividitur in novilunium, semilunium, et plenilunium: percelebres erant olim apud Judæos neomeniæ, seu novilunia.

Ecclesia retinuit in martyrologio et in pluribus suis decretis, præsertim in bullis SS. Pontificum, morem Romanorum qui mensem dividebant in calendas, nonas et idus. *Calendæ* dicuntur prima dies mensis; *Nonæ* celebrantur die quinta mensis, exceptis tamen mensibus martis, maii, julii et octobris, in quibus nonæ fixæ sunt die septima; *Idus* obveniunt die decima tertia, aut decima quinta, prout mensis habet quatuor aut sex nonas. Dies vero sic enuntiantur: dies ipsa calendarum, nonarum et iduum, dicitur *Calendis*, *Nonis*, *Idibus*. Dies quæ proxime antecedit, seu vigilia, dicitur *pridie calendas*.. dies vero cæteri retrogrediendo dicuntur tertio, quarto, quinto... calendas, seu nonas, vel idus, id est, tertio, quarto... die antè calendas, etc. Sic, v. g., constitutio dogmatica quam SS. NN. Pius IX dedit ad definiendum dogma de Immaculata Conceptione, inscribitur vi idus decembris, quod proinde significat diem viii^m hujus mensis.

Annus astronomicus alius est solaris, alter lunaris. Annus solaris est spatium temporis quo sol a certo puncto ecliptici seu zodiaci profectus, ad illud revertitur. Spatium æstimatur ex mensura media inter diversas inæqualitates 365 dierum, 5 horarum, 48 minutarum, cum 51 secundis. Annus lunaris est intervallum temporis quo fiunt duodecim conjunctiones solis et lunæ, quod complectitur 354 dies, 8 horas et 40 minutas; unde sequitur discrimen undecim fere dierum inter annum solarem et lunarem. Hinc orta est difficultas com-

ponendi annum civilem et ecclesiasticum quo menses solares cum lunaribus, adjectis quibusdam diebus, concordent; necessarium quippe est ut determinetur mensis quo Pascha celebrandum sit.

Christiani initium anni ducunt a mense januario, cum natus sit Salvator ad solstitium brumale; et ratio habetur calendarii cujus menses incipiunt a calendis. Romæ tamen usus obtinuit, ut in actibus publicis atque instrumentis, annus inscribatur a die Nativitatis, qui mos etiam servatur in subscriptione Brevium apostolicorum; dum e contra in bullis quæ dantur sub *plumbo*, anni initium ducitur a die Incarnationis Christi, seu die Annuntiationis B. Mariæ, quæ est 25 martii¹.

517. — II. *Cyclus annorum* adhibitus est ad determinandum annum civilem et ecclesiasticum. Cyclus nimirum est certus numerus annorum, quo expleto annus civilis respondet iterum eidem puncto anni sideralis.

Veteres multiplicem cyclum habuere: alius fuit cyclus Græcorum, alius Judæorum, alius Romanorum; et pluries astronomi curam impenderunt ut emendarentur horum cyclorum defectus, sed incasso labore, quia, seu imperitia, seu negligentia, non providerant quanta temporum confusio in futurum, elapsis pluribus sæculis, oritura esset ex quibusdam horis et minutis prætermisissis in computatione annorum.

Calendarium Romanum graviter sua ætate deformatum instaurare aggressus est Julius Cæsar, anno 44 ante æram christianam. Statuit 1^o adhibendum fore annum solarem ad usus civiles: annum vero definiendum curriculo 365 dierum et sex horarum integrarum; 2^o tres computandos esse annos dierum 365, quarto autem, qui sequeretur, superaddendum unum diem. (Dies ille intercalaris formabatur ex sex horis, quater repetitis,

¹ Cf. Card. Petra *Commentaria ad Const. Apost.*, tom. I, *Proœmium*, § 5.

quæ intra annum habentur præter 365 dies); 3^o menses annorum communium sic componendos ut septem, scilicet: januarius, martius, maius, julius, augustus, october et december haberent dies 31; quatuor aliis, scilicet aprili, junio, septembri et novembri dies 30 adscriberentur, et februario tantum 28; 4^o diem intercalarem reponendum in quarto anno, circa finem mensis februarii, sexto calendas. Annus ille *bissextilis* vocatus inde fuit quod in calendario indicebatur *bis sexto calendas*.

Juxta reformationem inductam a Julio Cæsare annus communis habet 52 hebdomadas et 1 diem, et altera dies additur anno bissextili: cyclus autem complectitur 28 annos, quibus expletis iidem dies hebdomadæ iisdem simul diebus mensis consentiunt.

Ordinatio calendarii Julii nonnullis vitiis laborabat, ex eo præsertim quod annum præfinierit curriculo 365 dierum et sex horarum, cum tamen sex illæ horæ non sint integræ, sed undecim fere minutis truncatæ. Ex illorum minorum neglectu, ver sedem suam singulis annis anticipavit, adeo ut anno 1582 æquinoctium verum decem fere diebus antecederet sedem quam tempore Julii Cæsaris obtinebat, et a die 21 mensis martii, cui concilium Nicænum æquinoctium istud fixerat, ad undecimum ejusdem mensis diem reduceretur.

Huic incommodo remedium afferre studuerunt plures SS. Pontifices; ac tandem negotium absolvit Gregorius XIII, auditis et ponderatis sententiis doctissimorum hominum. Edidit, an. 1582, 6 calendas martii, Constitutionem *Inter gravissimas*, qua per orbem christianum promulgabatur novum calendarium reformatum, quod *Gregorianum* dictum fuit. Hac constitutione Gregorius præteritos errores emendavit, demendo decem dies e mense octobris, ita ut post festum sancti Francisci, quod incidit in diem quartum octobris, dies proxime sequens pro decimo quinto habendus esset. Ad præcavendum

autem eosdem errores in futurum, statuit ut quadringentis quibusque annis omitterentur dies tres intercalares, ita ut cum annus 1600 fuerit bissextilis, anni 1700, 1800 et 1900, qui secundum calendarium Julii Cæsaris bissextiles esse deberent, pro communibus habendi sint, nec intercalari die adaugendi.

518. — III. Reliquum est ut quædam de epactis adjiciamus, ad intelligentiam calendarii ecclesiastici.

Epacta est numerus dierum quibus annus solaris communis 365 dierum, annum communem lunarem 354 dierum excedit. Cum igitur discrimen sit 11 dierum, epacta primi anni est 11, epacta secundi anni 22, et sic deinceps, ita tamen ut expleto numero 50 dierum qui unam lunationem constituit, rursus incipiatur nova epacta. Hac lege admissa, sequitur epactam tertii anni esse 5; siquidem adjiciendo undecim dies aliis viginti duobus annorum præcedentium, efficitur numerus 35, a quo si demantur triginta, remanebit numerus assignatus, nempe 5. Hac ratione, epactæ progrediuntur per continuum augmentum 11 dierum, abjectis 50, quando demi possunt. Qui noverit epactam anni currentis, potest facili labore determinare, die quacumque per annum, quæ sit epacta; sufficit etenim computare quot dies ab initio anni effluxerint, demere singulos quosque triginta; quod residuum erit lunationem designabit. Hoc quidem non accurate ac secundum calculum astronomicum accipitur, sed juxta calculum, ut ita dicam, politicum, et ad mores populi accommodatum¹.

¹ « Remarquons bien, ait scriptor recens, qu'il ne s'agit ici que de « l'épacte civile qui ne tient pas compte des fractions de jours, et qu'on « compte sommairement trente jours par lunaison, au lieu de vingt-neuf et « demi... Il y a une erreur qui peut aller à un jour dans les cas les plus défa- « vorables, mais cette erreur sur l'âge astronomique de la lune est tou- « jours réputée nulle, et l'on a exactement l'âge civil... Une fois connue « l'épacte d'une année, on aura toujours celle des années suivantes par « l'addition répétée du nombre 11 et en ôtant toujours 50 du résultat, « lorsque la somme dépassera ce nombre. » Desdouits, *Leçons élémentai- res d'astronomie*, pag. 301-305.

519. — IV. Calendarium sic dispositum ad hoc servit ut festa mobilia ad sua quæque tempora singulis annis referantur.

Habenda præcipue est ratio festi Paschalis ex quo pendent reliqua, ut supra notabamus. Concilium Nicænum censuit plenilunium paschale illud esse quod contingit post diem 20 martii; quamobrem cognito semel quæ sit lunatio occurrente hac vigesima die, statim concludetur quandonam erit plenilunium subsequens, et inquiretur qua die incidit dies dominica. Dies Paschalis non potest incidere ante diem 22^{am} martii, nec ultra 25^{am} aprilis. Evidens est plenilunium quod subsequitur diem 20^{am} martii non posse citius advenire quam die 21^a, nec diem dominicam quæ hoc plenilunium subsequitur citius occurrere quam 22^a die; ergo hæc est prima sedes Paschalis. E contra, nunquam protendetur ultra 25^{am} aprilis: annus scilicet in quo magis removebitur celebratio Paschalis is erit quo plenilunium incidet in diem 21^{am} martii, et in quo eadem ipsa die occurret dominica; tunc enim expectandum erit aliud plenilunium quod requirit intervallum triginta dierum: porro his diebus expletis, dies dominica proxime sequens erit 25 aprilis¹.

Ante Pascha numeratur per sex hebdomadas tempus Quadragesimale, et assignantur dies Septuagesimæ et Quinquagesimæ. Post diem Paschalem cum sua octava completam, numerantur quinque hebdomadæ in quarum ultima sunt dies *Rogationum*, et feria quinta celebratur festum Ascensionis. Post sextam hebdomadam sequitur festum Pentecostes, et ordinantur exinde festa sanctæ Trinitatis, Corporis Christi...

Hæc summaria calendarii expositio sufficit ad rationem nostri instituti; alia quæ ad *cyclum aureum* et *litteras dominicales* attinent, reperimus, simul cum tabula Paschali, in Breviario Romano.

¹ « Il faudra ajouter d'abord 50 jours au 21 de mars, ce qui nous porte « au 20 avril. Mais ce jour-là ne peut être un dimanche; car le trentième « jour à partir d'un dimanche est un mardi: si le 20 avril est un mardi, le « dimanche suivant tombe le 28. » Desdouits, *loc. cit.*

ARTICULUS III. — DE PRÆSCRIPTIS AD CELEBRATIONEM DIERUM
FESTORUM.

Quæstio versatur solummodo circa dies festos qui de præcepto servantur; et inquirendum venit ad quid jure teneantur fideles; quid ipsi pastores agere debeant.

520. — I^o *Quid fidelibus sit jure canonico præscriptum pro celebratione festorum?*

Duo præscribuntur: auditio sacri et abstinentia a quibusdam operibus, præsertim a servilibus. Utrumque discutiendum remittimus ad theologos, qui disserunt de præceptis Decalogi, in explanatione theologiæ moralis. Pauca tantum notabimus de auditione Missæ parochialis et de operibus vetitis.

I. Theologi communiter dicunt fideles non teneri Missam parochialem audire ad satisfaciendum præcepto; et Benedictus XIV censuit, uti tamen privatus doctor, non excusari a nimia severitate constitutionem synodalem qua fideles adigerentur ad Missam, verbumque Dei audiendum diebus dominicis et festis, in ecclesia parochiali. Narrat insuper ita temperatum fuisse a S. Congregatione concilii statutum synodale Ecclesiæ Midensis ut monerentur fideles, non vero cogerentur, interesse missæ et concioni in ecclesia parochiali. (*De Synodo*, lib. XI, cap. XIV, n^o 11.) Præsules tamen Galliarum voluerunt, ad recentiora usque tempora, fideles interesse Missis parochialibus, et rituales libri præscripserunt parochis ut omnes de hac obligatione admonerent e sacro suggestu. Ut explicetur hæc diversitas disciplinæ, attendere debemus ad privilegia regularibus concessa, et ad consuetudinem in Ecclesiis inductam, occasione horum privilegiorum.

Omnes fatentur præscriptam olim fuisse Missam parochialem, cujus disciplinæ plurima exstant monumenta. Legem ea de re sancivit Sixtus IV, an. 1478, edita constitutione *Vices illius*, qua prohibet ne Mendicantes prædicent parochianos libe-

ros esse ab audienda Missa in sua Ecclesia parochiali, « cum jure cautum sit, illis diebus parochianos teneri Missam audire in eorum parochiali ecclesia, nisi forsitan ex honesta causa ab ecclesia se absentarent. » Cap. *Vices*, 2, DE TREUGA ET PACE, Extravag. comm.

Juri communi derogatum fuit postea, editis constitutionibus apostolicis in favorem regularium, quibus Sancta Sedes concessit privilegium recipiendi fideles in suis ecclesiis, diebus dominicis et festis. Exstant ea de re Constitutiones Leonis X, S. Pii V et Clementis VIII, quibus asseritur fidelibus libertas adeundi ecclesias regularium, ut Missæ intersint et sacris concionibus; ea tamen conditione ut facultate sibi concessa non utantur in contemptum suæ parochiæ.

Occasione privilegiorum quæ regularibus solummodo fuerant concessa, inducta est per orbem christianum consuetudo, ut fideles ubicumque voluerint, in ecclesiis et oratoriis publicis, Missam audire tuta conscientia possint ad satisfaciendum præcepto, sed hæc consuetudo nequiquam in Galliis viguit usque ad recentiora tempora. Hujus asserti documentum indubium exhibent decreta conciliorum provincialium, statuta diocesana et libri rituales. Plura nimirum concilia provincialia quæ post synodum Tridentinam in Galliis habita sunt, atque a SS. Pontificibus Gregorio XIII et Sixto V approbata, prævio examine facto a S. Congregatione Concilii, veterem disciplinam studiose servaverunt. Citabimus præ cæteris concilia Burdigalense, Turonense et Bituricense, quæ voluerunt denunciari, sub interminatione excommunicationis, decretum ne quis tribus continuis diebus dominicis a Missa parochiali absit. « Sanctorum Patrum decreta antiqua renovantes, aiunt patres concilii Turonensis, omnibus et singulis christifidelibus suis Missis parochialibus et aliis suarum parœciarum officiis, singulis diebus dominicis et festis interesse districte præcipimus; a quibus, si per tres dies dominicos continuo sequentes, illos abesse contingat, nisi legitimo impedimento retineantur, præ-

« nas a sacris canonibus indictas incurrere declaramus, quod
« illis sui rectores et confessarii sæpius inculcare non omitant. »
Tit. *de Fidelibus laicis*¹.

Constat igitur synodos provinciales habitas per decursum
sæculi decimi sexti præscripsisse, non contradicente, imo ap-
probante Sancta Sede, ut retineretur vetus disciplina in nostris
regionibus. Ab illa autem ætate ad tempora recentiora, lex
sæpius memorata atque inculcata fuit in comitiis cleri Gallicani,
et inserta in pluribus libris ritualibus, auctoritate Episcoporum,
ut publice denuntiaretur fidelibus e sacro suggestu in singulis
parochiis; unde concludimus non prævaluisse olim in Gallia
consuetudinem quæ alibi inducta erat paulatim, et ut solutio
practica daretur, attendendum fuisse ad provinciarum disci-
plinam.

Hodie, mutatis circumstantiis, libertas fidelibus communi-
ter relinquitur Missam audiendi alibi quam in ecclesia paro-
chiali; monendi tamen sunt et cohortandi ut suam parochiam
frequentent. S. Carolus, qui apprime noverat mentem concilii
Tridentini, hæc, de assensu suorum comprovincialium, inseri
curavit in decretis concilii Mediolan. vi, tit. *de Parocho et Pa-
rochianis*: « Canonum ratio et disciplina id maxime postulant,
« ut ad ecclesiam parochialem fideles quam frequentissime
« convenient: id quod ab Episcopis accurate eos moneri syno-
« dus Tridentina pie salubriterque decrevit. Ejus decreti auc-
« toritate, ut pro eo quod debemus, plane obtemperemus,
« in usumque nostræ provinciæ inducamus, litteras monitionis
« eo de genere explicatas hoc provinciali concilio edimus, quas
« in omni parochiali totius nostræ provinciæ Ecclesia, certis
« diebus festis, quo pro suæ diocesis ratione Episcopus præ-
« stituerit, de more promulgari decernimus; quo diligentius

¹ Labbe. *Collect. conc.*, tom XV, col. 1054. Vide etiam decretum conc.
Burdigalensis, ibid., col. 951. Decret. conc. Bituricensis, col. 1111, *de lai-
cis*, can. I. Gregorius XIII probavit omnia quæ hæc concilia statuerant uti
pie, prudenterque decreta.

« admoniti parochiales, cum officii religiosi partes facile intel-
« legerint, quas suæ quique ecclesiæ parœciali debent, incitata
« quadam voluntatis propensione exsequantur. »

Decreta Tridentina quæ citat concilium Mediolanense repe-
riuntur in sessione xxii^a, Decret. *de Observandis et Evitandis
in celebratione Missæ*, in quo legimus: « Moneant (Episcopi)
« populum ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus
« dominicis et majoribus festis, accedant. » Et in sessione xxiv,
cap. iv, *de Reform.*: « Moneat Episcopus populum diligenter,
« teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi id com-
« mode fieri potest, ad audiendum verbum Dei. » Benedictus XIV
existimat obligationem auscultandi parochum verba facientem
ad populum, si in Tridentino decreto contineatur, ablatam
nunc esse per contrariam consuetudinem. (*De Synodo*, loco
cit., n^o 13.) Remanet nihilominus votum concilii: remanent
synodalia monita ad mentem decretorum Tridentinorum:
quapropter omnibus sacerdotibus, seu sæcularibus, seu regu-
laribus, curandum consiliis et adhortationibus ut fideles fre-
quentent ecclesiam parochialem, piisque illius institutis partem
habeant, hoc enim maximum incitamentum affert communi
ædificationi¹.

521. — II. Quoad prohibitionem quorundam operum,
maxime servilium, attendere simul oportet ad naturam ope-
rum, et ad probatas locorum consuetudines; non vero, saltem
regulariter loquendo, ad intentionem agentis, an lucri causa,
an recreationis, seu etiam devotionis, operetur.

1^o Ratio potissimum habenda est naturæ operum. Triplex
species operum distinguitur, nempe: *servilium*, *liberalium*
et *communium*. Juxta communem doctorum interpretatio-
nem, opera *servilia* dicuntur quæ corpore exercentur po-
tius quam mente, et immediate deserviunt corporis usibus
ac necessitatibus; servilia nuncupantur quia per servos seu

¹ Cf. Hallier, *Commentarii in Ordinationes cleri Gallicani circa Regu-
lares*, art. iii. — *Mémoires du Clergé*, tom. VI, col. 1162 et seq.

mercenarios exerceri solent; v. g. : arare, fodere, suere, etc... Opera *liberalia* dicuntur quæ vel mente præsertim exercentur, vel, si corpore potius exercentur, fiunt tamen animi excolendi gratia, ideoque homini libero conveniunt v. g. : studere, docere, scribere, venari, etc... Alia demum reputantur mixta, seu *communia*, quia singulis æque congruunt, servis sicut liberis. Porro lex canonica prohibuit generatim opera *servilia* : unde sequitur opus servile præsumi vetitum jure communi, nisi sit legitima probataque consuetudo quæ illud fieri diebus festis concedat. Opera vero liberalia licita sunt generatim; quapropter nulla in specie vetita præsumuntur, nisi de illis statuerit lex aliqua, seu firmata consuetudo.

2º Non sufficit igitur advertisse naturam intrinsecam operum, nisi simul attendamus ad leges canonicas, atque ad consuetudines probatas. Opus servile aut liberale censetur ex usu patriæ, communique hominum æstimatione. « Fieri etiam potest, an-
« notat sapienter Billuart, ut idem operis genus diversimode fac-
« tum, sit servile et non servile; v. g. piscari recreationis causa
« cum arundine, aut levi rete, non censetur servile; piscari
« vero ex officio, cum magno apparatu et labore, censetur
« servile. »

Sunt etiam opera liberalia quæ Ecclesia prohibuit fieri diebus dominicis et festis, quia nimis amovent animum a piis cultus divini exercitiis, scilicet : mercatus et actus judiciales. Mercatus nomine designantur nundinæ et actus emendi atque vendendi. Nundinæ alicubi tolerantur, contraria consuetudine prævalente; quantum ad actus mercandi, consuetudo recepta habet ut panis, vinum, carnes, et alia hujusmodi ad usum quotidianum attinentia, passim licite emantur et vendantur. Hæc autem, cum derogent juri communi, restringi potius quam ampliari necesse est, quantum moraliter potest. — Ad actus forenses quod attinet, canones vetant ne, consentientibus etiam partibus, processus habeatur die festo, et ne sententia proferatur. Judex proinde abstinere debet ab auditione partium, ab interro-

gatione testium, et ab aliis hujusmodi. Cap. *Omnes*, 1, et *Conquestus*, 5, DE FERIIS.

3º Opus liberale, aut commune, non ideo fit servile quod propter mercedem aut lucrum peragatur; nec opus suamet natura servile, aut sacris canonibus vetitum, licitum evadit si fiat gratuito, aut recreationis causa. Intentio agentis est quid operibus extrinsecum, quod eorum naturam non mutat. Hinc concludendum professorem historiæ, eloquentiæ, cantus, posse tuta conscientia operam dare suo officio diebus festis, et discipulos edocere quæ suæ artis sunt, quamvis exinde lucrum reportet. Concludendum, e contra, illum transgredi legem qui operam dat, licet absque lucri intuitu, arti lignariæ, sutoriæ, textoriæ, sculptoriæ, typographiæ, etc...

Animadvertunt plures theologii concedenda non esse opera minutiora quæ facere solent moniales : scapularia, rosaria, cordulæ, flores, imagines cereæ, maxime si diu his immorentur; sunt enim hæc artium mechanicarum opera, et a mercenariis exerceri solita. Nec excusat motivum pietatis quoad hujusmodi opera, quæ remote tantum ad exercitium virtutis religionis pertinent; alias licitum etiam foret ecclesias ædificare, calices conficere... (Billuart, *de Religione*, dissert. VI, art. II.)

Licentia laborandi diebus festis olim ubique requirebatur, etiamsi necessitas urgere, aut pietas suadere videretur; ne multi, privatis affectibus domesticarum rerum decepti, præceptum inani de causa transgredirentur : quinimo, ex nonnullis S. Congregationis declarationibus, hæc licentia scriptis danda erat ab Episcopo, aut saltem a parochio. Si alicubi adhuc servetur tam laudabilis consuetudo, haud dubium quin retinenda sit; si non subsistat, enitendum est ut fideles exposcant consilium sui parochi, antequam operibus præsertim ruralibus vacent, nisi manifesta atque repentina necessitas urgeat.

Sufficiat expo-uisse principium generale : applicationes practicas, et solutiones dubiorum quæ in hac materia suboriuntur, remittimus ad tractatus theologicos *de Præceptis Decalogi*.

522. — III. Præter auditionem Missæ, et abstinentiam ab operibus vetitis, nihil aliud statuerunt sancti canones pro sanctificatione dierum festorum. Dubium quidem non est quin omnino expediat christifideles vacare piis exercitiis, auditioni concionum, aliisque charitatis operibus, ut finem ab Ecclesia intentum plenius assequantur; insuper ipsa lege naturali omnes tenentur ediscere doctrinam christianam, et animum vitæ christianæ exercitationibus informare, quod plerumque non faciunt nisi Ecclesiam diebus festis frequentent; sed, stando intra limites solius juris canonici, arbitramur illi legi satisfecisse qui sacro interfuit, ea qua par est religione, et ab operibus vetitis cessavit ¹.

523. — II^o *Quid jure præscriptum sit parochis diebus dominicis et festis?*

Parochi, et alii curam animarum habentes, tenentur diebus dominicis et festis providere celebrationi divinorum officiorum, pascere fideles verbo Dei per seipsos, aut, si impediti fuerint, per substitutos, et pro suis parochianis sacrificium offerre.

Cum sufficienter dictum fuerit in I^a parte de obligationibus parochorum (n^o 248-250), quædam tantummodo notanda supersunt de diebus festis suppressis, seu ad dominicam sequentem translatis, vi decreti *Apostolicæ Sedis*, 9 aprilis an. 1802.

In hoc decreto Cardinalis Caprara, Legatus *a latere*, dixit sibi a Pontifice injunctum fuisse ut declararet festorum dierum, qui dominici non sunt, numerum ad quatuor tantum contractos esse, in universo Galliarum territorio, « ita ut, inquit, posthac
« in reliquis festis diebus omnes ejusdem incolæ non solum a
« præcepto audiendi Missam, vacandique ab operibus servi-
« libus, sed a jejunii etiam obligatione in diebus qui festa
« hujusmodi proxime præcedunt, prorsus absoluti censeantur et

¹ Cf. Billuart, loco citato, art. VIII.

« sint. Eam tamen legem adjectam esse voluit, ut in diebus
« festis, vigiliisque eos præcedentibus, quæ suppressæ decer-
« nuntur, in omnibus Ecclesiis nihil de consueto divinorum
« officiorum, sacrarumque cæremoniarum ordine ac ritu inno-
« vetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur qua hactenus
« consueverunt, exceptis tamen festis Epiphaniæ Domini, San-
« ctissimi Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et
« sanctorum Patronorum cujuslibet diocesis et parœciæ, quæ
« in dominica proxime occurrente in omnibus Ecclesiis celebra-
« buntur... Eadem pariter Sanctitas Sua mandat ut anniversa-
« rium Dedicationis templorum quæ in ejusdem Gallicanæ rei-
« publicæ territorio erecta sunt, in dominica quæ octavam
« festivitatis Omnium Sanctorum proxime sequetur, in cunctis
« Ecclesiis Gallicanis celebretur. »

1^o Parochus denunciare debet plebi dies festos suppressos, atque hortari eos præsertim qui victum parere sibi labore manuum minime coguntur, ut iis diebus sacrosancto Missæ sacrificio intersint; de quo Pius VII enixe admonuit pastores animarum.

2^o Debet sacrum facere, et providere ut tot Missæ in Ecclesia parochiali celebrentur quot necessariae sunt ut votis S. Pontificis fideles commode satisfacere queant. Imo debet, quantum possibilitas suppetit, festa celebrare eodem divinorum officiorum ordine et ritu quo consueverant antea, quando urgebat præceptum. Fertur Cardinalem Caprara consilium dedisse per litteras encyclicas an. 1806, ut abstinerent deinceps a solemnibus horum festorum ritu et officiorum cantu, quia subortæ fuerant super hoc difficultates ex parte gubernii civilis. Cum vero eadem difficultates hodie non subsistant, nec pertimescendum sit ne fideles in errorem inducantur circa obligationem servandi festa suppressa, valde optandum esset ut nihil immutaretur de ritu solemnibus, quantum saltem permittit status parœciarum, præsertim si spes affulgeret fideles attrahendi.

3^o Tenentur insuper, iisdem diebus festis qui suppressi dicuntur, applicare Missam pro populo (n^o 250). Hæc quidem obli-

gatio inducere videtur onus grave nonnullis parochis quibus redditus adeo exigui constituti sunt ut eleemosynis, quas a fidelibus pro celebratione Missarum accipiunt, indigeant. Aliunde difficillimum est non assentiri votis fidelium qui Missas sibi, suisve parentibus, applicari exoptant, infra hebdomadam, oblato stipendio, v. g. pro nubentibus, pro defunctorum exsequiis, etc...; nam ægre patiuntur repulsam, eo magis quod a tempore immemorabili hæc festa non celebrentur, et erant pene fidelibus ignota.

Quod pertinet ad Parochos egentes, S. Sedes aliquando Episcopis benigne concessit facultatem dispensandi, ut diebus festivis hujusmodi parochi recipiant eleemosynam a pio offerente et pro ipsa sacrificium applicare licite valeant, dummodo Missam celebrent in ecclesia parochiali, et infra hebdomadam tot Missas applicent, pro populo, quot diebus festivis juxta benefactoris intentionem obtulerint. Ita rem statuit Benedictus XIV per litteras apostolicas *Cum semper*, § 8, ad omnes Episcopos, et Ordinarios locorum per Italiam constitutos. SS. Pontifices eandem facultatem aliis Episcopis, id postulantis, benigne concesserunt; quod etiam forte concedetur parochis pro aliis casibus memoratis, quando gravis ratio urgebit obsecrandi votis fidelium; ea tamen semper adjecta conditione ut non prætermittatur, sed solummodo transferatur ad aliam diem, applicatio Missæ parochialis.

524. — III^o *Utrum adhuc vigeat lex jejunii pro vigiliis festorum translatorum, virtute decreti APOSTOLICÆ SEDIS?*

Cardinalis legatus declaravit decreto mox allato, fideles eximi ab obligatione jejunii diebus vigiliis, qui festa suppressa proxime præcedunt. Hinc plures concludunt non hactenus subsistere in Gallis legem jejunii pro vigiliis SS. Apostolorum Petri et Pauli. Ita Rituale Bellicense, tom. I, n^o 264. Festum SS. Apostolorum, inquit, est quidem ex numero eorum quæ translata sunt in dominicam subsequentem: at illa translatio, juxta sensum obvium decreti, refertur tantum ad solemnitatem, non

ad ipsum festum. Id unum voluit Pius VII, ut sublata obligatione ex parte fidelium Missam audiendi et jejunium servandi, idem nihilominus serventur ordo ac ritus divinatorum officiorum in festivis diebus et vigiliis quæ suppressa decernuntur; alia vero, ritus et ordo divinatorum officiorum ac cæremoniarum, transferrentur in dominicam proxime occurrentem. Alii, quorum opinioni assentimur, aliter decretum interpretantur: existimant nimirum obligationem jejunii solutam fuisse pro vigiliis festorum suppressorum, non vero pro aliis festis quæ translata sunt. Ratio est quod decretum nihil super hac re certum definit; quapropter cum, juxta tritum axioma, in obscuris restringi debeant quæ exorbitant a jure communi (n^o 58), illud debemus interpretari in sensu strictiori. Hanc sententiam confirmavit, an. 1855, S. Congregatio Inquisitionis: Episcopi scilicet Belgi postulaverunt a S. Sede pro suis respective diocæsesibus dispensationem super jejunio vigiliæ SS. Apostolorum; dicebant fideles sibi commissos difficulter induci posse ad servandum hoc jejunium, eo maxime quod istius obligatio in Belgio, sicuti in Gallia, in dubium vocaretur. Porro hæc prolata est decisio: « In congregatione generali S. Romanæ et universalis Inquisitionis, habita in conventu S. Mariæ supra Minervam, coram Em^{is} et Rev^{is} Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, præposita supra scripta instantia, et præhabito voto DD. Consultorum, iisdem Em^{is} et Rev^{is} rescribi mandaverunt — jejunium in pervigilio festivitatis SS. Apostolorum Petri et Pauli esse servandum. »

Igitur, si attendamus tantummodo ad decretum *Apostolicæ Sedis*, subsistit obligatio jejunii pro vigiliis festorum ad dominicam subsequentem translatorum. Verum quæstio sub alio respectu considerari potest. Cum aliter fuerit interpretatum decretum praxi plurium diocæseon, et hæc praxis diuturna consuetudine invaluerit, haud improbabile est obligationem jejunii desiisse in iisdem diocæsesibus vi consuetudinis præscriptæ: versamur enim in materia juris mere positivi, quæ præscriptibilis est.